



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Gneznensi Archiepiscopo, & universis suffraganeis ejus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis verò de temporalibus debeant respondere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obstet. salva tamen iustitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars major consilij sanioris secundum Deum & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestræ paternam in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica inhiemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Libertates quoque & immunitates antiquas & rationabiles consuetudines monasterio vestro concessas & hæcenus observatas, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere facimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. salva sedis apostolicæ auctoritate & diocesani Episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove communita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij Kalend. Junij, Indictione XIII. incar-

nationis dominicæ anno millesimo ducentesimo decimo, pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno tertio decimo.

*GNEZNENSI ARCHIEPISCOPO,
& universis suffraganeis eius.*

Significavit nobis dilectus filius nobilis vir Dux Zlesia quòd cum [Boleslaus] quondam Dux Poloniae certam dederit singulis filiorum suorum in Polonia portionem, principalem civitatem Cracoviæ majori natu reservans instituit ut semper qui esset de ipsius genere prior natu, civitatem teneret eandem; ita quòd si major decederet, vel cederet juri suo, qui post eum de toto genere major esset, ipsius civitatis possessionem intraret. Hoc autem perpetuis temporibus observari præcipiens, per sedem apostolicam obtinuit approbari, omnes illos faciens excommunicatione percelli qui statutum hujusmodi auctoritate apostolica roboratum præsumerent violare. Vnde nobis humiliter supplicavit ut nostris vobis daremus litteris in mandatis quòd nec vos ipsi statutum violaretis hujusmodi, nec permetteretis ab aliis violari, illos qui contravenire præsumerent anathematis sententia ferientes. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus institutionem de majoritatis præminencia, sicut ad utilitatem & pacem totius provincie dinoscitur esse facta, faciatis per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo firmiter observari, contradictores censura simili compescentes. Datum Laterani v. Idus Junij, pontificatus nostri no tertio decimo.

*FREDERICO ILLUSTRIS
Regi Siciliae.*

Cum jam annos pueriles evaseris, decet te, fili carissime, actus deserere pueriles, & quanto tibi & regno tuo majora pericula imminet, tanto studiosius debes intendere ad illa fortiter evitanda. Consilia quoque discretorum & te diligentium debes diligenter amplecti, & inter ingratos ac bene notos discernere te oportet, ne minus diligentes plus diligas, & qui te ferventius diligunt, illos remissioris caritatis brachiis amplexeris. Cum enim venerabilis frater noster Cathaniensis Episcopus regni Siciliae Cancellarius te custodierit hæcenus & nutrierit, ac pro defensione tua & regni tui labores & angores, anxietates & necessitates multiplices sustinerit, nunc, si verum est quod asseritur, tot beneficiorum oblitus, à tua ipsam fa-

*Epist. 82.
De statuto
quodam facta
à Duce Poloniae.
Vide Dlugoffum
lib. 4. hist. Polonica pag. 405.
Ep. lib. 6. pag. 336.*

*Epist. 83.
Vt Cathani
Episcopum recipiat in gratiam.*